Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uxor pueris docendis preesse voluerit.
De eo quod episcopus Henricus audita conversatione sancti viri cenobium aliquod sibi committere voluit.
Quomodo Henrico presule in Roma defuncto sanctum Wolfgangum ad se convocaverit episcopus Coloniensis Bruno.
Quemadmodum vir dei a Brunone episcopo missus Pataviam revisitaverit et ad monasticam vitam tetenderit.
Qualiter sanctus Wolfgangus a beato Udalrico presbiter sit ordinatus.
Ubi viro dei sanctus Othmarus in visu apparens, quod presulatus regimen esset acceptus quotquot in annis foret dispositurus predixerit.
Quomodo ex revelatione divina incitatus predicandi causa Pannonie petierit confinia, sed a Piligrimo Pataviense episcopo sit revocatus.
Quomodo eiusdem episcopi affectu Ratisponensis ecclesie susceperit.
Qualiter in urbe predicta monastice vite incuriam perspiciens doluerit, et per huiusmodi emendatione Ramuoldum in sancti Emmerammi cenobio abbatem constituit.
De eo quod quidam indigne ferebant, quia predicto cenobio abbatem prefecerit.
Qualiter sanctimonialium monasteria in predicta urbe constituta ad monastice vite regulam perduxerit.
Quomodo canonicorum vitam providere studuerit.
Quanta predicationis gratia refulserit.
Quod viro dei predicante diabolica fraus discurrere per se plenum fecerit.
Qualiter eum stolidus quidam tacite despiciens mox tremore ac infirmitate fuit correptus, sed postea sanitati restitutus.
De cotidiana illius conversatione.
Quomodo sacerdotes pagenses ammonuit ut se observarent.
Quanta sollicitudine emendavit, cum quosdam ob vini penuriam missas cum aqua celebrasse audiret.
Quod ita alienis sicut sibi subditis manum exhibuit.
Quanta industria multos famis tempore procuravit [illegible] it.
De paupere quem pro furto comprehensum excusavit.
Quomodo hereticum verba quedam erroris arte dialectica proponentem eadem arte mirifice confutavit.
Qualiter a cesare Ottone rogatus consensit in Bohemia Ratisponensi ecclesie subdita fieri episcopatus.
Qua prophetie spiritu claruerit.
Quomodo legatus sancti presulis qui ablato ei equo iussa ambulando implere studuit, subito equum sellatum invenit.
Ubi in cesaris Ottonis expeditione multis ex fluvii cuiusdam inundatione periclitantibus ipse securus fluvium transiit, aliosque transire fecit.
De clerico cui maledicendo oculorum dolorem ingessit, sed postea benedicendo sanitati pristine restituit.
De muliere demoniaca curata.
Item de alia muliere curata demoniaca.

Qualiter vicedominum suum tonitrui fulgurisque timore moribundum sanitati reddiderit.
De quodam Rubicolensis ecclesie egroto per eius benedictionem sanato.
Quomodo per Danubii decursum in orientale Baiorie plagam profectus, corporisque molestia preventus ibi obierit.
Qualiter post sancti viri obitum mox presul Hartwicus et tribo comes advenientes una cum reliqua plebe corpus eius ad Ratisponam urbem devexerunt, ibique in sancti Emmerammi ecclesia sepelierunt.
De cementario qui a cementariis ad locum ubi sanctus Wolfgangus obiit deductus mox sanus factus est.
De eo qui ferro constrictus ad eius sepulchrum venit, sed absolutus redit.
Quomodo regi Henrico in visione apparens per senarii numeri descriptionem imperiale designavit dignitatem.
De quodam ceco illuminato.
De muliere debili aput eius tumulum sanata.
Item de quodam egroto per eius merita sanato.

Vita beati Wolfgangi episcopi

Beatus igitur Wolfgangus natione Suevigena, ex ingenuis parentibus, et ut Salomon optat, nec divicias nec paupertatem patientibus, sed mediocriter recteque viventibus est procreatus. Qui tirunculum a bipsis infantie rudimentis dominum fontem vite sitiens, et caduca queque despiciens, magna meritorum prerogativa cepit eminere, multisque virtutibus studuit fulgere. Fertur et quod eius matri visum fuit stellam in gremio portare. Quod scilicet presagium conveniens erat, preclaris filii virtutibus. Nam unus illorum extitit, de quibus scriptura sacra dicit: qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iusticiam erudiunt multos quasi stelle in perpetuas eternitates.

Beatus ergo puer non multo post baptismi gratiam adeptus Wolfgangus est appellatus. Nam in quodam armario quod ipse construi precepit, ut reliqua sicut erat peritissimus poematum compositor, ita scripsit: Struxerat ediculam, mandrita lupambulus istam. Veruntamen non pro nulla ignominiosa causa hoc nomen ei imponebatur, sed quadam consueta sue cognitionis appellatione, quia et nomina bestiarum utramque partem advertere possunt. Leo etenim interdum significat diabolum, ut ibi: sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem devoret. Christum et nichominus designat, ut est illud: ecce vicit leo de tribu Iuda. Et ovis in bono po